גלוי הנקוד

Revelatio Punctationis


DISSERTATIO

De Antiquorum ſine punctis legendi ratione, deque punctorum vocalium novitate, contra erroneam aliorum de autenthia punctorum opinionem inſtituta, à

CNÆO CORNELIO UYTHAGE,

S. S. Theologiæ, & linguæ Sanctæ Doctore.





LUGD. BATAV.
Apud PETRUM DE GRAAF.
M DC LXXX.



Diu multumque in Hebræorum Scholis de auctoritate punctorum vocalium disceptatum fuit. *An puncta fuerint literis suis coæva? An vero sint priscorum Masoretharum inventum?*

Utrique parti, neque rationes, neque testimonia ex antiquissimis Judæorum libris, veluti *Zohar*, *Bahir*, *Talmude*, &c. petita desunt, quibus sententiam suam confirmet. Qui libri feruntur in lucem prodiisse ex operibus Rab. Nechoniæ, filii Canæ, & Rab. Simeonis filii Jochaj, ac discipulorum ejus ante compositionem Mischnæ. Imprimis legitur in libro בהיר teste Rab. Bechaj lect. בשלח Exod. 13. vers. 17. hoc testimonium pro punctorum primigenia autenthia prolatum: רמיז נקודתא באתוותא דאוריתא דמשה כנשמתא דחיי בגופא דאניש *re Talia sunt puncta cum litere Legis Mosis, qualis est anima vitæ in corpore humano.*

Materia est doctis ingeniis digna, quæ à multis retrò annis, ingenia, cùm Philologorum, tùm Theologorum summa exercuit.

Ut autem quam brevissimè huic gravissimæ satisfaciam quæstioni, dicimus, certum esse, Mosen puncta vocalia, contextui Legis non adscripsisse,

quod probatur è ſacro Legis volumine, quod in Judæorum Synagogis in Arcâ ſacra ad lectiones Sabbathinas publicas, ſolenneſque peragendas asſervatur, & etiamnum hodiè ſine punctis vocalibus, ſine accentibus, ſineque verſuum diſtinctione cernitur, juxta formam prototypi ſeu primi exemplaris à moſe ſcripti, populoque Judaico traditi, uti ferunt. Hanc rationem inter Judæos Rabbi Azarias adfert in libro אמרי בינה *Imre binah cap.* 59. cujus quidem verba eò ſpectant, ut doceat Legis ſtudio operam dantes, marte proprio genuinam lectionem Legis, adeoque verum intellectum ejus habere non poſſe; verum à Legis Doctoribus Rabbiniſque petendum eſſe, quorum traditione Scripturam legere addiſcerent, pronuntiarentque, prout fecerat Moſes Magiſter ipſorum. *Moſes verò Magiſter noſter fauſtæ memoriæ* (inquit) *qui ſcripſit Legem ſine punctis vocalibus, ſuper iis etiam dictionibus, quæ dubiæ lectionis ſunt. Graviſſima ejus rei fuit ratio ei, quoniam placuit, ut nemo intelligeret præcepta ſua, niſi ſecundum traditionem oralem.* Deinde Elias Levita *Præfat. tertiâ in librum ſuum Maſoreth* his verbis. אֱמֶת הוּא שֶׁאֵין בּוֹ סָפֵק שֶׁזֹּאת הַתּוֹרָה אֲשֶׁר שָׂם מֹשֶׁה לִפְנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל הָיָה סֵפֶר פָּשׁוּט בְּלִי נִקּוּד וּבְלִי טְעָמִים וּבְלִי סִימָנֵי סוֹפֵי פְּסוּקִים כַּאֲשֶׁר אֲנַחְנוּ רוֹאִים הַיּוֹם וּלְפִי דַעַת בַּעֲלֵי הַקַּבָּלָה כָּל הַתּוֹרָה הִיא כְּפָסוּק אֶחָד וְיֵשׁ אוֹמְרִים.

אוֹמְרִים תֵּיבָה אַחַת: hoc est. *Verum est, quia dubium in eo nullum, quod ista Lex, quam proposuit & Moses filiis Israëlis fuerit liber simplex, sine punctatione & accentibus, sine signis quoque finis versuum, sicut hodiè videmus. Et secundum sententiam Auctorum Cabalæ (Cabilistarum fuit integra Lex, ut versus unus, aut ut quidan dicunt dictio una.* Quod ex parte convenire videtur, cum Rabbi Mose ben Nachman רמבן præfat. commentariorum suorum in Pentateuchum, ubi scribit: וְהַנִּרְאֶה שֶׁהַתּוֹרָה הַכְּתוּבָה בְּאֵשׁ וּבוֹ הָיְתָה הַכְּתוּבָה רְצוּפָה בְּלִי הֶפְסֵק תֵּיבוֹת הָיְתָה אֶפְשָׁר קְרִיאָתָהּ וכו׳: *Videtur, quod Lex igne scripta &c. scripta fuerit æqualiter, sine distinctione verborum, poterat que legi scriptura ejus.* ubi dubio procul respexit ad verba Prophetarum summi Mosis Deut. 33. v. 2. *Ad dexteram suam erat Lex ignea.*

Quamvis autem, si reliquas omnes linguas, tam Orientales, quàm Occidentales nobis notas accuratius scrutemur, comperiemus literas earum, signa sua vocum, sonorumque habere propria, sive illa sint vocales literæ, uti in linguâ Romanâ, Græcâ, Italica &c. Item in Armenicâ & Persicâ. Sive signa vocalium sint puncta, lineæ, apicesve suprà, infrà, & in medio positi, quemadmodum in linguâ Hebraicâ, Chaldaica, Syriaca, Arabica, quæ ab eâ descenderunt. Hæc puncta exercitati facilè

omittere possunt, non quod eorum natura sit,ut à literis separari,vel sejungi queant:sicut enim vocales sunt ab ipsis mundi incunabulis ordinatæ, quæ cum literis pronuntiarentur. Quæ cum ita sint, quandoquidem illæ Hebraicæ non modo sint affines, atque ab eâ derivatæ, hinc manifestum est linguam Hebraicam vocales suas habuisse. Quomodo enim aliquis in animum inducere suum ulla ratione posset, primum hominem, qui divino instinctu, literas vocesque linguæ S. invenisset, non etiam simul reperisse modos, sonos, signaque literarum, quibus lector inter voces distinguere posset simillimas, veluti inter שלמה *Schelomoh* & שלמה i. e. *Perfecta*: Item שלמה *Schelumah.* i. e. *Retributio*,, שלמה *Salmah.* i. e. *Vestimentum.* Ideoque singularum literarum figuris, adjuncta esse à principio literarum istarum signa, sonosque, certò tenendum est; sive tandem per literas vocales, sive per puncta, apices, lineasve. Sed sciendum est nihilominus, voces, linguasque, quarum signa sunt apices vel lineæ, longo usu atque experientia edoctis omissas esse, exceptis tamen locis quandoque necessariis, dubiisque, haud alitèr, quam nos facimus exercitati in codicibus non punctatis, quandò dictionibus dubiis interdùm puncta subjicimus, uti legantur sicut decet.

Cætera autem teste Hieronymo pro, voluntate lectorum peritorum, proque varietate regionum, locorumque eadem verba diversis sæpenumerò sonis,

nis, atque accentibus prolata fuerunt. Quod tamē maximè intelligendum est de Nominibus propriis rerum ac locorum, quæ pro temporum varietate, tùm etiam secundum varia gentium idiomata seu dialectos, variè etiam ipsa scribi, legique solere testatur. Undè quoque Hieronymus docebat, ante punctorum inventionem, sive potius additionem, vocem במה pro locorum qualitate, & prout diversimodè legitur, nunc significare *sublimitatem*, nunc denotare *in quo*: Similiter ait vocem דבר Jes. 10. eadem ratione, nunc *Verbum* denotare, nunc *mortem* & *pestilentiam*. Verba ejus sunt in cap. 2. Jesaiæ: *Verbum* Hebraicum במה vel *ὕψωμα dicitur* i. e. *excelsum &c. vel certè in quo, & eisdem literis scribitur* במה, *ac pro locorum qualitate, si voluerimus legere in quo, dicimus* בַּמֶּה; *sin autem excelsum vel excelsus, legimus* בָּמָה. Et in cap. 9. hunc in modum scribit. *Apud Hebræos* דבר, *quod per tres literas scribitur consonantes* דבר, *pro locorum qualitate si legatur* דָּבָר *verbum significat, si* דֶּבֶר *mortem & pestilentiam.* Idem in cap. 21. scribit. *Verbum Hebraicum* אלי *quod omnes interpretati sunt ad me, si volueris legere* אֵלִי *interpretati Deus meus vel fortis meus.* Tandem in cap. 24. inquit: *In præsenti loco pro* לבנה i. e. *Luna, Septuaginta interpretati sunt laterem, qui Hebraicè appellatur* לבנה *verbi ambiguitate decepti.* Hæc leguntur in commentariis in Jesaiam,

ſaiam, ſimiliaque alia apud eundem reperiuntur, è quibus patet, unam eandemque vocem pro loci qualitate, & prout aliis atque aliis effertur punctis vocalibus, aliam atque aliam habere ſignificationem. Præterea Biblia tempore etiam Hieronymi punctis fuiſſe deſtituta, traditione autem orali ſciviſſe, quibus vocalibus aliàs unaquaque vox efferenda eſſet. Atque hinc eſt, quod propria nomina, quæ paſſim in Latinis Bibliis inveniuntur, ſæpiſſime alias quàm Hebraici codices vocales habeant, veluti *Rebekka* pro *Ribka*: *Eva* pro *Hava*: *Mariam* pro *Miriam*: *Salomo* pro *Schelomo*: *Jeruſalem* pro *Jeruſchalaim*: *Iſaac* pro *Iizhak*: *Noë* pro *Noach*: *Nepthali* pro *Napthali* &c: Quod etiam intelligendum eſt de dictionibus Appellativis, quæ iisdem quidem ſcribuntur literis, ſed diverſis inſigniuntur punctis, veluti חלב, ſi legas חָלָב eſt *lac*, ſi vero חֵלֶב eſt *adeps*. Hinc maximus error quandoque interpretibus accidit, quando una dictio pro alia uſurpata fuit, quod factum eſt Gen. 36. ubi interpres noſter legit ימים pro יֵמִם vel מים, redditque *aquas calidas*, cum Hebræi ibidem legnat יֵמִם, quod *mulos* ſignificat. Cum autem exemplar Hieronymus punctis haberet deſtitutum, nullique ei Hebræorum eſſent commentarii, præterea neque Chaldaicam paraphraſin Onkeloſi vel Jonathanis haberet, magno ære eidem conducendi erant Judæi, à quibus inſtrueretur, quandoquidem

dem multa essent in S. Scriptura loca adeo obscura atque intricata, ut citra Judæorum traditionem intelligi vix possint. Neque enim ullus dubito, quod, si Hieronymo fuissent Rab. Salomonis, Aben Esdræ, Mosis Gerundensis, Rab. Levi ben Gerson, vel Davidis Kimchi commentarius, ei vivo præceptore opus fuisset, nunc verò in tantâ penuria librorum, codice quoque sacro punctis distincto carens, Biblia sacra absque Judæorum suppetiis, explicare neutiquàm potuit. Quæ res interpretibus non parùm semper obfuit, ut sæpè unam dictionem pro alia legerint. Quod Racanati dicit ידוע הוא כי האותיות כשאינן נקודות יש להן פנים הרבה אמנם כשהם נקודות אין להם רק משמעות אחד כפי הנקודה i. e. *In confesso est, quod quandò literæ non punctantur, possunt diversimodè legi: Quandò vero puncta adjuncta habent, unum tantum præ se ferunt sensum juxta punctationem.* Ideoque subjicit בעת הקריאה קורין בספר תורת כפי הקבלה שנאמר למשה בסיני i. e. *Quando autem legunt in libro Legis, legunt juxta acceptionem seu traditionem, quâ Deus loquutus est Mosi in monte Sinai*: Olim enim omnes ferè codices sacri punctis destituebantur, quemadmodum & hodiè volumen Legis, quo Judæi in Synagogis suis utuntur, punctis vocalibus caret; undè non nisi apprimè periti legere atque intelligere valebant, eratque hæc traditio quædam, quam Sacerdotes, Le-

Legisque periti sciebant, vulgoque explanabant, sicut dicitur *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & requires legem ab ore ejus, quoniam angelus est Domini exercituum.* Cum verò temporum successu exigentibus Judæorum peccatis, multas paterentur persequutiones atque exilia, cumque passim per omnes mundi plagas dispergerentur, Lexque ejusq; peritia recederet à Sacerdote, insuper docti deficere inciperent, necesse habuerunt multa calamo consignare, quæ prius solâ traditione orali sciebantur, quâ de re pluribus scribit Rabbi Moses Mikkotzi in Præfat. super librum *Mitzvoth* seu *Præceptorum* majorem, cujus summarium in studiosorum commodum Munsterus evulgavit.

Secundò. Atque hoc quoque concernit ea, quæ à Spiritu S. Sacro neque inspirata, neque dictata sunt: quo sensu appositè scribit Rabbi Azarias וכאשר קריאת השמות בלי רוח הקדש הוא דבר בחירי: i. e. *Et quemadmodum lectio Nominum, quæ à Spiritu S. non provenit, res arbitraria est.*

Tertio. Hoc accipiendum est de omnibus locis illis, quorum lectio atque explicatio clara, neque dubia erat. Linguæ itaque, quarum vocales sunt puncta seu apices, usu atque experientia comprobante abundè facilè legi poterant sine hujusmodi vocalibus, adeoque eas omittere plerumque solebant, exceptis tamen iis in locis, quibus necesse erat iis subscribi. Neque hoc novum cuiquam videri debet: certum enim esse videtur, Synagogam,

quam-

quamdiu Spiritus S. duceretur ductu, probè novisse, quibusnam vocalibus Lex Dei legenda esset, novisseque traditione orali, quomodo eam Moses Prophetarum summus legerat, sicut discimus ex eo, quòd scriptum reperitur apud Nehemiam virum Synagogæ M. maximum libri sui cap. 2. v. 8, his verbis: *Et legerunt in libro illo, in Lege Dei explanatè, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem illam seu Scripturam* &c. hoc est explicante Talmude *Massechet Nedarim.* i. e. de *Votis* cap. 4. Quod dicitur Nehemiæ cap. 8. v. 8. *Et legerunt in libro illo. i. e. Lege Dei significat textum Scripturæ. Explanatè designat Targum. Et apposuerunt intellectum, hi sunt versus. Et intellexerunt lectionem illam, hæ sunt accentuum pausæ: Alii dicunt, hæc sunt Massoreth. Dixit Rabbi Isaac, Lectio Scribarum, Ablatio Scribarum, Vocesque quæ leguntur, & non scribuntur, quæque scribuntur, & non leguntur, sunt traditio Mosis à monte Sinai.* Hoc est sunt tantæ auctoritatis, quasi ab ipso Mose in monte Sinai tradita essent. *Lectio Scribarum est* Aretz Schamaim, Mitzraim. h. e. exponente Rab. Nissim in suâ glossâ. *Dictio* ארץ, *quandò legitur cum accentu Atnach, legitur Aretz, similiter Schamaim, Mitzraim cum Chireck.* Et latius explicante magno Talmudico Rab. Salomone Jarchi in glossâ super textum illum: *Lectio Scribarum est* ארץ *i. e. Eretz, quamvis non scribatur vocalis, neque scribatur Iod inter Aleph & Resch, item inter Resch & Tzade. Similiter quod*

 le-

legant ארץ *Aretz, etsi non scribantur duo Aleph, aut unum juxta Aleph & Iod inter Resch & Tzade. Item quod legant Schamaim, quanquam non scribatur Aleph inter Schin & Mem & Iod* (hoc modo שאמאים) *sicut quod legant Mitzraim, etsi non scribatur* מצראים. *Traditio autem Mosis est à Sinai, quod hæc ita legantur.* Adeo ut liquidissimè è Talmudicorum doctrinâ constet, quam nunc produximus, *mikra Sopherim* i.e. *lectionem Scribarum* à Mose traditam esse oraliter, quæ docebat E. G. quandò in Scriptura *Aretz*, & quando *Eretz* legendum esset. Item modo *Schamaim*, & non *Schamim*, *Mitzraim*, & non *Mitzrim* &c. Breviter quibusnam vocalibus Scriptura legenda esset, prout eam summus Magister Moses pronuntiaverat, quidcunque tandem vocales illæ fuerint, sive literæ vocales, qualibus olim teste Hieronymo usi sunt, uti infrà dicetur, sive verè puncta & apices. Postquam verò propter diutinam Babylonicam captivitatem, variasque Judæorum per varias mundi plagas, populosque dispersiones, pristino linguæ S. decori plurimum decessisset. Legisque Dei sui, genuinæque illius pronuntiationis jam obliti essent. Esra Scriba peritus & velox, caput Synagogæ M, & Princeps Nehemias, Zacharias, Malachias, Haggæus, pluresque Sapientes cum ipsis ad centum viginti seniores, quorum ultimus fuit Simeon justus, qui Alexandro Macedoni Hierosolymas, hostilitèr proficiscenti obviam sacerdotali habitu processit, eumque ad cle-

clementiam erga urbem flexit, quæ historia passim ab Hebræis celebrata est, puncta vocalia suis locis convenientia ac congrua restituerunt, docueruntque quibusnam vocalibus loca Scripturæ dubia legenda essent non modo; verum etiam fidem nobis Talmudicis Doctoribus facientibus, scripto tradiderunt, quæ *Massora* vocata fuit: Massora autem à Viris Synagogæ M. traditam esse, comprobat luculenter illud vulgatum Talmudicum. *Hæc sunt Massoreth* &c. Animus enim, neve intentio eorum fuit oretenus duntaxat istam Massoram proferre, sed etiam scripto, adeoque vocales, accentus, ceteraque quorum mentionem fecimus, indubium est, scripto etiam prolata fuisse. Hinc Masoretharum opus enatum fuit, quorum proprium fuit, varietatem lectionem, quarum diversæ multiplicesque species sunt, observare: Quandò enim tale quid occurrit, dicitur vulgo ab iis, qui modo habent gustum Massoræ: *Massorethæ sic legunt*; Item *Masorethæ diversam lectionem in margine annotaaunt: Masorethæ* ו *quod amanuensium incuriâ in* י *mutatum fuerat, restituerunt*: *Masorethæ tradiderunt hanc redundare vocem*, aliaque hujus generis. At verô hanc Massoram (non loquor de Massorâ eâ, quæ hodiè literis comprehensa est, & nondùm tunc temporis extabat, cujus auctores viri Tyberiadis feruntur) ante Talmud ipsum extitisse luculentissimè locus hic sequens subjectus Talmudicus probat qui extat in נדרים *Nedarim* fol. 37. his verbis

אמר

אמר רבי יצחק מקרא סופרים ועטור סופרים
וקריין ולא כתיבן ולא קריין הלכה למשה
מסיני : מקרא סופרים מקרא סופרים ארץ
שמים מצרים עטיר סופרים אחר תעברו :
אחר תלך : אחר תאסף : קדמו שרים אחר נוגנים :
צדקתך כהררי אל : קריאן ולא כתיבן פרת
דבלכתו איש דכאשר ישאל : איש בדבר
האלהים : באים דנבנתה : לה דפליטה : את
דהגד הוגד לי : אלי דהגורן : אלי דהשעורים :
חליז קריאו ולא כתיבן וכתיבן ולא קריאן :
נא דיסלח : ואת דהמצוה : ידרוך דהדורך :
חמש דפאת נגב : אם דכי גואל : הלין
כתיבן ולא קריאן i. e. *Dixit Rabbi Isaac : Lectio Scribarum , Ablatio Scribarum , lecta & non scripta, scripta & non lecta, traditio sunt Mosis de monte Sinai. Lectio Scribarum* אָרֶץ *Eretz.* שָׁמַיִם *Schamaim.* מִצְרַיִם *Mitzraim. Ablatio Scribarum ut post transibitis Gen. 18. v. 5. Postea ibis Gen. 24. vers. 55. Postea aggregabitur Num. 31. vers. 2. Praecedebant cantores post, post pulsatores Psal. 68. v. 26. Justitia tua ut montes Dei. Psalm. 36. v. 7. Lecta & non scripta, ut vox* פְּרָת *ibi, quum proficisceretur ipse 2 Sam. 8. v. 3.* אִישׁ, *cum requisierit verbum Domini 2 Sam. 16. v. 23.* בָּאִים, *& aedificabitur urbs Jer. 31. v. 38.* לָהּ *effugium ei Jer. 50. v. 29.* אֵת, *nuntiando nuntiatum*

tiatum est mihi Ruth. 2. *v.* 11. אֵלָי *Area Ruth.* 3. *v.* 5. אֵלָי *Hordei Ruth.* 3. *v.* 17. *atque hæc sunt lecta & non scripta. Scripta & non Lecta, ut* נָא *ibi & propitius sit 2 Reg.* 5. *v.* 28. וְאֵת, *Præceptum Deut.* 6. *v.* 1. יִדְרֹךְ *calcans Jerem.* 51. *v.* 3. חֲמֵשׁ *Latus Austri Ezech.* 48. *v.* 61. אִם *Nam vindex Ruth.* 3. *v.* 12. Ubi primò Rabbi Isaac non agit de lectione genuinâ quarundam vocum, quæ diversimodè scribuntur, & leguntur prout Sacerdotes ac Levitæ à Majoribus suis per continuam traditionem acceperant, de quâ etiam pars Massoræ agit, sicut & nos infrà; sed simpliciter de lectione Scribarum in vocibus *Eretz*, *Schamaim*, *Mitzraim*, indicatque quid Scribæ docuerint populum per assiduam exercitationem ac prælectionem, quomodo eam ipsi à Mose acceperant, didicerant, quare modò, & nunc legendum esset אֶרֶץ *terra* & non אָרֶץ *Aretz*: alibi *Aretz* & non *Eretz*, nempè ob diversorum accentuum rationem, membrorumque sententiæ distinctionem. Itidem *Schamaim Cœli*, modò cum A distincto, longo & brevi, sive Cametz & Patach, modò cum A eodem, sive utroque longo, seu gemino Cametz propter vim, rationemque pausæ, & sic *Mitzraim*. Secundò agit de *Ablatione Scribarum*. Ablatio hæc dicitur de literâ ו, quæ in allatis locis juxta sensum, sententiæque seriem ac continuationem videbatur addenda, adeoque à vulgo inter legendum addebatur; Verum Scri-

Scribæ illi viri Synagogæ seu Concilii M, cui Eſzra cum tribus primis Prophetis præerat, & à quibus integra Scriptura reſtaurata eſt, annotarunt eam minimè addendam eſſe, eo quòd primi eorum auctores eandem non addidiſſent, adeoque eam ut ſuperfluam ex uſu vulgi abſtulerunt, quod vocarunt poſtea עטור סופרים *Ablatio Scribarum.* Vox עטור Cladaicæ originis eſt à Rad. עטר, quæ quandoque idem valet quod Hebraica סור *Recedere*: Hæc quoque in hodiernâ impreſſâ Maſſorâ legitur Gen. 18. v. 5. & Pſal. 36. v. 7. undè maniſeſtiſſimè patet Maſſoram ante Talmud extitiſſe. Tertiò recenſet *Lecta & non Scripta*, & viciſſim *Scripta, & non Lecta*: Sunt quippe voces, quæ leguntur, quum tamen in textu Scripturæ non inveniuntur, & contrà quæ in textu Scripturæ ſunt, & tamen non leguntur, quæ omnes à Maſſora recenſentur. Præterea etiam aliarum dictionum, in quibus diverſimodè litera aliqua ſcribitur & legitur mentio fit in tractatu *Sopherim* ſeu de ſcribis inſcripto cap. 6. & 7. ubi dicitur: אלו כתובין חסרון ויו וקוראין בויו i. e. *Iſta ſcribuntur cum defectu Vau, & leguntur cnm Vau*: Aliæque plures ſpecies ibidem referuntur. Hanc etiam Maſſoræ partem ante Talmud extitiſſe, & quidem ab ipſo Eſzra factam fuiſſe inter Rabbinos celeberrimus Elias in Præf. tertiâ Maſſoræ apertè fatetur quandò inquit: אנשי כנסת הגדולה עשו הקרי שבתורה על

פי

פי הקבלה ממדעה ושבנביאים וכתובים על פי
הקבלה מנביאים וחכמי ההורות : ושבספרי
על פי הגולה על פי המחברים עצמם ולא בעבור
הספקות כאשר חשבו רבים : id eſt. *Viri Synagogæ M. ſen Synedrii M (cui Eſzra praerat) annuntiarunt diverſitatem lectionis, quæ eſt in Lege juxta Cabalam, quam acceperant à Moſe: quæ vero in Prophetis & Hagiographis occurrit, eam conſignarunt juxta Cabalam, quam acceperant à Prophetis aliiſque Sapientibus iſtius ſeculi: quæ denique in libris captivitatis reperiebatur, eam juxta os eorum Auctorum notabant, non autem propter ullum dubium, ſicut multi putarunt.* Et paulo ante de Viris Synagogæ M. ait: *Ipſi autem ſcripſerunt quamlibet vocem in margine, ſicut legi debuit, in quâ re Eſzra fuit Scriba ipſorum.* Quod autem Talmudici frequenter dicere conſueverunt: *Traditio ſunt Moſis de monte Sinai*, de diverſis lectionibus & ſcriptionibus plurimarum vocum, id dextrè intelligendum eſt. Senſus itaque hujus ſimpliciter eſt, fundamentum diverſæ lectionis, ſcriptioniſque vocum omnium, tam certum, ratumque eſſe, ac ſi totum ab ipſo Moſe è monte Sinai profectum eſſet: Moſen enim rationem omnem, quæ in Lege ſunt Judæis expoſuiſſe, & per traditionem poſteris reliquiſſe; ſic deinceps Prophetas ſingulos, viroſque ſanctos in libris ſuis feciſſe, quo omnium vocum firma, certaque doctrina ac traditio ad poſteros deveniret, uſque ad viros Synagogæ M. qui reviviſcentes ac recolli-

colligentes singula, perpetuæ certitudinis caussa, omnia ista consignarunt. Neutiquam verò mens illorum fuit, perindè ac ea ipsa exempla, quæ illic adducuntur ex Prophetis, aliisque libris hujus generis, Deus ipse Mosi in monte Sinaitico, Mosesque rursū è monte populo revelaverit, atq; exposuerit.

Neque priscorum & Anti-Talmudicorum Masoretharum proprium fuit, textum sacrum in suos versus distinguere, quod doctissimus Elias in libro de Accentibus cap: 2. Tiberiensibus Judæis Talmude posterioribus perperam nostro judicio tribuit, quandò scribit: כאשר הסכימו בעלי המסורת להניח הנקודות והטעמים בכל פסוק ופסוק התבוננו בראשונה באיזה מלה ראוי להניח סוף הפסוק אך בתורה היה להם בקבלה ממשה ועשו שם ב נקודות גסות זו על גב זו כזה (:) לסימן וכן בכל המקרא: id est. *Postquam constituissent Magistri Massoræ apponere puncta & accentus unicuique versui, primùm considerarunt ad quam dictionem finis versus poni deberet, quamvis in Lege hoc habuerint per traditionem à Mose, ibique posuerunt duo crassa puncta, uno supra alterum posito hoc modo (:) pro signo, sicque in totis Bibliis.* Quorum versuum super totam scripturam distinctio, quandoquidem in utroque Talmude creberrima fiat mentio, imprimis in Mischna libri Megillah cap. 3. *Qui legit (publicè in Synagoga) in Lege, non leget minus, quam tres versus: non leget apud interpretem Chaldæum*

daum magis, quam versum unum, & in Propheta tres; Item in eodem capite: כל פסוקא דלא פסקיה משה אנן לא פסקינן ליה *Quemcunque versum non distinxit Moses, nos etiam non distinguimus eum* scil. tam vocali inter legendum, quam periodica distinctione. E quo certè testimonio perspicuum est, Scripturam in plurimis à Mose non fuisse distinctam; verum antequam à Masorethis primis anti-Talmudicis, & non Tiberiensibus Elianis post Talmudicis, esset in versus distincta, fuisse instar unius versus. i. e. continuâ vocum serie absque omnibus pausarum seu majorum distinctionum vel periodorum notis, spaciisque scripta, donec Masoretharum præcedentium operâ, actu, reque ipsâ distingueretur.

Maximè autem ipsorum proprium fuit, literas earumque qualitates, voces juxta diversam scriptionem & lectionem legendas, easque plenè vel defectivè scriptas, earumque omnium, uti & versuum dinumerationem S. Scripturæ, ne unquam aliquid addi posset, detrahi aut aliâ quavis ratione immutari, sedulò & accuratè numeratè numerare. Hoc manifestissimè è Talmude probatur in libro קדושין *Kidduschin cap.* 1. *fol.* 20. ubi ita scriptum invenitur: לפיכך נקראו ראשונים סופרים שהיו סופרים כל אותיות שבתורה שהיו אומרים ואו דגחון חצין של אותיות ספר תורה: דרוש דרש חצין של תיבות: והתגלה של פסוקים: יכרסמנה חזר


מיער עין היער חצים של תהלים : והוא רחום יכפר עון חצים דפסוקין : בעי רב יוסף ואו דגחון מהאי גסא או מהאי גסא : אמר ליה ניתי ספר תורה ואמנינהון : מי לא אמר רבה בר בר חנה זזו משם עד שהביאו ספר תורה ומנאום אמר ליה אינהו בקיאי בחסרות ויתרות אנן לא בקיאינן : בעי רב יוסף והתגלח מהאי גסא או מהאי גסא אמר ליה אביי פסוקי מיהא ליתו לימנוייה בפסוקי נמי לא בקיאינן דבי אתא רב אחא בר אדא אמר במערבא פסקי ליה להאי קרא לתלתא פסוקי ויאמר יהוה אל משה הנה אנכי בא אליך בעב הענן : תנו רבנן המשה אלפים ושמונה מאות ושמונים ושמונה פסוקים הויא ספר תורה יתר עליו תלים שמונה חסר ממנו דברי הימים שמונה hoc eſt. *Idcirco vocati ſunt* סוֹפְרִים *Numeratores, quia numerarunt omnes literas Legis dicentes litera* ו *vocis* גחון *Levit.* 11. *v.* 42. *eſt media litera libri Legis*: דרש דָרַשׁ *Levit.* 10. *verſ.* 16. *media vox Legis*: וְהִתְגַּלָּח *Levit.* 13. *v.* 33. *medius verſus in Lege*: יכרסמנה חזיר מיער *Pſalm.* 80. *v.* 14. *litera* ע *vocis* יער *eſt media litera in Pſalmis*: רַחוּם יְכַפֵּר עון *Pſal.* 88. *v.* 38. *eſt medius verſus in Pſalmis. Quæſivit Raf. Joſeph, Vau vocis* גחון *an pertinet ad hanc vel illam partem? Reſpondit adferamus librum Legis, & nu-*

& numerabo illas. Nunquid dixit Rabba bar bar Channa eos (priſcos ſcil.) non abiiſſe indè donec numerarent eas. Tum reſpondit ille, illi exercitati fuerunt in literis defectivis & redundantibus, nos non ſumus adeò periti. Præterea quæſivit Raf Joſeph, verſus והתגלח *eſtne referendus ad hanc vel illam partem? Reſpondit Avai, an verſus etiam non potuerint numerari? neque in verſibus numerandis nos exercitati ſumus. Nam adveniens Raf Acha bar Ada dixit in occidente (ſcil. Paleſtina) diſtinguunt hunc verſum in tres paucas: Et dixit Dominus ad Moſen: Ecce ego venturus ſum ad te in denſa nube, &c. Exod. 19. v. 9. Ulterius docuerunt Rabbini: quinque mille octingenti octoginta octo verſus ſunt in libro Legis: plures habet Pſalmorum liber octo, pauciores Chronicorum liber octo.* Quo teſtimonio Talmudici primò rationem reddunt quare ſapientes ſtudio Talmudico dediti vocati fuerint *Sopherim* i. e. *Scribæ, Librarii*, librorumque ſacrorum imprimis Legis divinæ periti, qui criſin hanc ad textum S. inſtituerunt, nempè à numerando סופרים, quia verſus, voces, literas majuſculas & minuſculas, inverſas & ſuſpenſas, aliaſque extraordinariè punctatas textus Hebræi numerarunt, quod quidem potiſſimum ipſorum ſtudium atque opus fuit. Hoc pacto verſuum omnium uumerus in fine librorum omnium à Maſſorâ adſcribitur, uti & medius quiſque eorundem verſus. Deindè in vocum numero, quoties unaquæque in tali forma extat, perpetuò Maſſora occupatur, quod lectoribus omnibus

nibus manifestum est. Secundò distinguit Masorethas seu nominat ראשונים *Priscos* seu *Primavos*, quo vocabulo ostendit, eos Talmude longè antiquiores fuisse, uti etiam dinumerationem hanc ante compilatum Talmud diu ante institutam fuisse, proindeque sententiam illam Eliæ concidere, quandò ait: *Sapientes Tiberiadis omnium primos huic arti Masorethicæ manum admovisse*. Intelliguntur autem per illos *Sopherim* Viri Synagogæ M. Eſzra Propheta & Sacerdos, Nehemia, Zacharia, Malachia, qui collectionem hanc fecerunt, Massoramque Legi divinæ tanquam sepem addiderunt. Simul etiam pro antiquitate Massoræ apertissimum testimonium producitur, & Masorethici studii auctores ante Talmud extitisse probatur luculenter, quandoquidem illi, qui hoc peregerint eo tempore *Prisci*, ut sic distinguerentur à posterioribus seu recentioribus Tiberiensibus, appellati fuerint.

Sed, ut ad puncta vocalia, à quibus digressi sumus, postlimiò redeat oratio nostra. Olim etiam Judæos literis vocalibus lectionis genuinæ matribus usos fuisse, sufficiens testis est Hieronymus in epistolâ ad Evagrium, loquens ibi de *Salem* metropoli *Sichem*, quæ etiam *Salim* dicitur Joh. 3. v. 23. *Nec refert*, inquit, *utrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi*, nempè uti diximus in Nominibus propriis rerum, locorumque quæ pro varietate temporum, diversisque gentium idiomatis, variè etiam ipsa scribuntur;

buntur, leguntурque. Deindè in locis dubiis, incertisque, ubi tales literas vel apices apponebant, ne error in lectione obteperet, quod aliàs sæpissimè accidere necesse est in linguis orientalibus, comprobante rerum ipsâ experientiâ. Memini mihi olim relatum à viro literato, qui in comitatu Legati Constantinopolitani fuerat, qui quandò cum suis Smyrnam appulisset, inquisitum fuit in nomina ipsorum, quæ postquam Turcis, qui ea literis consonantibus scribebant, reddidissent, postero die, cum nominibus suis vocandi essent, in genuinâ eorum prolatione Turcis mora fuit, adeo quidem, ut de novo jussi, nomina reddere coacti fuerint, quæ tunc additis vocalibus suis, ne error deinceps accideret, Turcæ consignarunt. Quod certè non minus in linguâ S. contigisse verisimile est. Undè trita illa apud Talmudicos enata sententia est: יש אם למקרא יש אם למסורת: *Est mater lectionis: est mater Masoræ*. Quo quidem axiomate utuntur Rabbini, quandò duo disputantes de vocis alicujus interpretatione dissentiunt, quorum unus vocem prout legitur, & per vocales pronuntiatur, alter sicut per nudas literas scribitur, aliisque vocalibus efferri potest. Exempli loco sit locus Levit. 12. v. 5. ubi scriptum est שבעים, de cujus interpretatione inter quosdam disceptatum fuit. Aliqui communem ejusdem lectionem ac pronuntiationem retinendam sibi censebant scil.



שְׁבֻעִ׳ם, dicentes יֵשׁ אֵם לַמִּקְרָא: *est mater lectionis*, i. e. quia per Massoram à majoribus nostris traditam ità accepimus, dicimus sic legendum atque explicandum esse: Alii contrà dicebant: Nos juxta simplicem scriptionem literarum legimus שִׁבְעִים *Septuaginta*, quia est *mater Massora*, i. e. Scripturæ, quia per Massoram accepimus juxta simplicem literarum formam, vocem exponendam esse שִׁבְעִים *Septuaginta* scil. diebus mulierem puerperam immundam esse debere: Si enim sensus esset שְׁבוּעַ׳ם *Duabus septimanis* seu diebus quatuordecim; tunc scriptum fuisset; scribique debuisset שְׁבוּעַיִם cum gemino י. Similiter Exod. 12. v. 46. scriptum est יאכל. Unus vocem hanc juxta communem lectionem ac interpretationem legebat יֵאָכֵל *comedet* scil. *Pesach* i. e. *agnum*, quia est *mater lectionis*, sicuti per Massoram accepimus vocem hanc legendam, & exponendam esse. Alter expostulabat legendum, atque interpretandum esse vocabulum illud juxta literas suas simplices יאכל *Comedet*, quia *est mater scriptionis*, atque à Massora acceptum est, hoc modo juxta Scripturam exponendam esse. Insuper scriptum reperitur נפשת Levit. 21. v. 11. ubi unus dicit legendum, atque interpretandum esse in plurium numero נפשת *corpora* seu *cadavera*, duo intelligendo *cadavera*, quia est *mater lectionis*, deindè per Massoram acceperat sic legendum, atque exponendum esse:

esse: Alter verò contendebat, legendum esse juxta simplicem nudamque scripturam נפשרת *cadaver*, intelligendo cadaver unum, quia est *mater scriptionis*. Plurima ejus generis in Talmude reperiuntur exercendi ingenii acuminisque gratiâ in medium prolata, non verò dubitandi, quod de vera lectione dubitarent. Nam uterque semper Massoram pertendebat, quia per eam, & veræ scriptionis, & lectionis genuinæ pariter ratio ipsis constabat.

Unum adhuc addam exemplum diversimodæ lectionis ex absentia punctorum ortæ magni alicujus Doctoris Talmudici Rabbi Kapparæ apud Majemonidem *libro* 3. *cap.* 43. מורה נבוכים, ex *Deut.* 23. *v.* 13. תנו בר קפרא ויתד תהיה לך על אזניך אל תקרי אזניך אלא אוניך id est, *Tradit Rabbi Kappara scriptum est scil. Deut.* 23. *v.* 13. *Veiated thiieh leca al azeneca, Ne legas Azeneca*, i. e. *super arma tua*; *sed Ozneca*, i. e. *super aures tuas*. Addit. *Nam docet debere hominem immittere digitum in aures suas, quum obscænum aliquod verbum audit*. Mirum equidem fuisset in tanto Doctore adeò stultè credidisse, immò & exposuisse per יתד *Jathed*, i. e. *paxillum digitum*, & per אזנך *Azeneca*, i. e. *arma* intellexisse *aures*, nisi lectionis ambiguitas ex absentiâ punctorum orta, ipsum in in sententiam talem absurdam induxisset. Hinc non absque ratione inter Judæos Elias Levita Grammaticus ex vulgari illo Talmudis, & Midraschim dicto: אל תקרא כך אלא כך id est

Ne legas sic, sed sic. arguit solidè, puncta non fuisse data è monte Sinai: si enim talis dictio, de quâ controversia orta esset, punctata fuisset, Rabbinos neutiquam ausos fuisse dicere *Ne legas &c.*

Palmarium argumentum, quo probari solet, codices sacros sine punctis vocalibus fuisse scriptos, desumptum est à Joabo duce, quem ajunt Legi non satisfecisse, quod Edomæorum mares tantum occiderit, non autem fœminas 1 Reg. 11. v. 15. ex ambiguitate vocis זכר, quam magister perperam legere docuerat, quamobrem à discipulo confossus legitur (quo nomine Saulus Rex, non modo graviter reprehenditur, quod Regi Amalekitarum Agago pepercerit, verum etiam eâ de caussâ reprobatur, regno ab hæredibus ablato 1 *Sam* 15. *v.* 9. *&* 23.) factum hoc indigitat Elias Levita in Præfat. *Massoreth, Hammassoreth* mihi p. 71. è Talmude depromptum, undè postmodum Grammaticorum vulgus ad controversiam originis, ac novitatis vocalium punctorum transsumpserunt. Reperitur autem hæc historia in Talmude בבא בתרא *Porta postrema fol.* 21. ubi de Magistris sermo est, qualisnam pueris sit adjungendus, hoc modo legitur: *Dicit Rabba inter duos pædagogos, quorum unus doctrinam vocum, alter minutias Grammaticales tradit, uter est præficiendus? an ille qui doctrinam? quia error contingit circa voces. Contradicit Rabbi Dimi de Nahardeâ, præferendum potius, qui subtilitates etymologicas doceat, quia non levius erretur. V. G. ob discri-*

men

men עַל & עָל (*quorum illud excelsum*, hoc verò *suprà* vel *contra* significat) *Scriptum est, semestri Joabum mansisse in Edom*, 1 *Reg.* 11. *v.* 16. *usque dum exciderit omnes illius masculos; occurrens itaque Davidi, rogatus fuit, quare sic fecisset, Deut* 25. *v.*19. *respondit, quia legitur* זָכָר, *regessit Rex, suos* זֵכֶר *legere, abiens itaque consuluit magistrum suum, quomodo tu nos instituisti? cumque* זָכָר *repeteret, gladium strinxit, ut ipsum interficeret, quia scriptum est: maledictus qui facit opus Domini negligenter: rogante autem magistro, ut se dimitteret virum jam maledictione percussum: respondit, scriptum est execrandus qui prohibet gladium à sanguine, sicque ipsum occidit*; Ubi propter vocis זכר ambiguitatem legit זָכָר, quod *masculum* significat, quum deberet legere זֵכֶר *memoriam*: non enim masculus tantùm, sed memoria quoque Amalecitarum exscindenda erat. Atqui hoc propter punctorum absentiam accidit, quod non minus זָכָר *masculum*, quam זֵכֶר *memoriam* legere potuerit. Jam autem quantum intersit discriminis inter utramque lectionem facilè quivis intelligit: Si enim זָכָר i. e. *masculus* tantùm interficiendus fuisset, non adeo graviter peccasset Saul, quod in istius mandati executione opimis ovium gregibus, atque armentorum pepercisset, cujus tamen nomine gravissimè reprehensus est, & quod sermonem Domini contempsisset, ipso quoque Regno multatus est; *Sam.* 15. *v.*9. &c. gra-

B 5 vissi-

vissimi nihilominus criminis Saulus reus fuit; quamvis enim puncta vocalia apposita non fuerint, è divino tamen Legis mandato ei constare poterat, non זָכָר *masculum*, sed זֵכֶר *memoriam* legendum esse: sic enim legitur Exod. 17. v. 14. *Dixitque Dominus ad Mosen: Scribe hoc memoriale in libro, & pone in auribus Josua, quia delendo delebo mentionem Amalek sub cœlo.* i. e. non modo masculos inter Amalecitas, sed omnem illorum *memoriam* sum excisurus. Quam lectionem ac mandatum suum, Deus per Samuelem Sauli Regi denuò proposuit, hisce verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcunque fecit Amalek Israëli, quomodo restitit ei in via, quum ascenderet de Ægypto: Nunc ergo vade, & percute Amalek, & anathemizato omnia ejus, non parcas ei: sed occidito tàm virum, quàm mulierem, & puerum lactantem, bovem & parvam pecudem, camelum & asinum quemque.* Verum quum Saulus optimis gregum, ipsique Regi Agago parcendo, mandatum Domini trangressus esset, solio suo Regio dejectus, Regnoque privatus est. Ex quo quidem loco clarissimo Exod. 17. v. 14. luculenter constare puto quod זֵכֶר ei legendum esset, adeoque quamvis puncta addita non fuerint, satis tamen liquide eidem voluntatem divinam innotuisse.

Non minoris ponderis argumentum est, quod pro punctorum novitate depromitur ex Ezechielis cap. 48. versu ultimo, ubi Hierosolyma magnifico hoc

hoc condecoratur elogio à Propheta יְהוָה שָׁמָּה *Dominus ibi*, ob singularem Dei ibidem loci præsentiam, atque שְׁכִינָה *inhabitationem*, ubi Judęorũ aliqui putantes, nomẽ יְהוָה Hierusalem tribui, legerunt pro שָׁמָּה *ibi*, שְׁמָהּ, quod significat *nomen ejus*. Sic olim legit Rabbi Levi, ideoque scribit: *Felix civitas, cujus nomen est, sicut nomen Regis sui: sicut scriptum est Ezech. ultimo capite: Et nomen Civitatis ex die* IEHOVA SCHAMMA *Deus ibi*. Idem legitur in *Midrasch Thillim* seu explicatione Psalmorum mysticâ, sive allegoricâ super Psal. 20. *Jeruzalem quoque vocata est nomine Dei: sicut dictum est Ezechielis ultimo, & nomen Civitatis à die* IEHOVA SCHAMMA. *Dominus ibi*. Inprimis inter antiquos Rabbi Jonathan, quandò inquit: *Tres vocati sunt nomine Dei sancti & benedicti. Hi autem sunt. Justi, Messias, & Jeruzalem. Et justi quidem, sicut dicuntur, hoc est: Sicut Deus dicitur justus, ita & ipsi justi dicuntur, ac sic nomine Dei vocantur. Messias verò nomine Dei appellatur, sicut dictum est Jer. 23. v. 6. coll. Jer. 33. v. 15. Et hoc nomen ejus, quo vocabunt eum Deus justus noster. Jerusalem autem nomine Dei quoque vocata est, sicut scriptum est Ezechielis ultimo capite: Et nomen Civitatis ex die* IEHOVA SCHAMMA. *Ne legas* שָׁמָּה *Schamma ibi: sed* שְׁמָהּ NOMEN EIUS.

Ubi tamen notandus est Judæorum error, dicentium Jeruzalem essentiali, ac magno Dei nomine

ne IEHOVA appellatum eſſe, volentium indè enervare divinitatem Meſſiæ, quod non ideò ſtatim ſit verus Deus, quia in Scripturis appellatur IEHOVA; cum idem illud nomen aliis quoque rebus legatur attribui, quemadmodum tria adhuc loca proferunt, quibus probare ſatagunt, alias etiam res, magno, eſſentialique Dei nomine appellari, & propterea divinitatem Meſſiæ inde concludi non poſſe. Quorum primus eſt Gen. 22. v. 14. ubi ſic legimus: *Et vocavit Abraham nomen loci ipſius* יְהוָה יִרְאֶה IEHOVA VIDEBIT. Secundus eſt Exod. 17. v. 15. *Et ædificavit Moſes altare, vocavitque nomen ejus* יְהוָה נִסִּי IEHOVA VEXILLUM MEUM. Tertius eſt Jud. 6. v. 24. *Et ædificavit Gedeon altare Domino, vocavitque illud* יהוה שלום IEHOVA PAX vel IEHOVÆ PACIS: Nomen enim illud nobis exprimit magnificentiam quandam, nobilitatem, & præſentiam præſentis, civitatemque ſuam inhabitantis Domini, ex quo nequaquam ſequitur, ipſam civitatem eſſe, vel appellari IEHOVAM; ſed IEHOVÆ Domini præſentia in civitate, non civitatis divinitas, hoc magnifico celebratur titulo. Deindè nomen illud aliis rebus creatis tributum, non ſignificat, illas res magno, ac eſſentiali Dei nomine eſſe vocatas; ſed veluti *Jehonathan* id eſt, *Jehova dedit*, vel *Jehoſchua* id eſt, *Jehova ſalvavit*, ſicuti tantum commemorationes beneficiorum divino-

vino-

vinorum, quorum memoria honorificâ illâ nomenclaturâ recolitur.

De Ratione legendi sine Punctis apud Antquos usitatâ.

Atque hactenus de punctorum vocalium origine, nunc de lectione, scriptioneque antiquorum sine punctis paucissimis nobis dicendum erit. Quamvis autem ista res experientia, atque usu maxumè constaret, habuerunt tamen literas quasdam distinctivas אה״וי nuncupatas, dictionibus insertas, certos vocalium apud antiquos indices, ideoque dicebantur illis אמות הקריאה Matres lectionis, quia lectionem dirigebant hoc pacto.

א indicabat A geminum i. e. Camets vel Patach: ut תַּנָּאֵי *Doctor Talmudicus.* זַכָּאי pro זַכַּי *justus* תְּלִיתָאֵי *tertius* & sic deinceps reliqua numeralia. רְבִיעָאֵי *quartus.* עִלָּאֵי *excelsus*: יְהוּדָאֵי *Judæus*: כַּשְׂדָאֵי *Chaldæus*: מָדָאֵי *Medus*: נָכְרָאֵי *alienus*: סַדְנְחָאֵי *Orientalis*: עַרְטִלָּאֵי *nudus.* Quod maximè usu venit gentilitiis & numeralibus.

ו significabat, simulq; erat signũ vocalium O & U. hoc est indicabat Cholem, Camets-Catuph, Chatef-Camets, Schurek & Kibbutz, ut: אורכא i.e. אֳרְכָּא *longitudo* אורחא i. e. אָרְחָא *semita*: חוכמתא i. e. חָכְמְתָא *semita*: שְׁבוֹק i. e. שְׁבֹק *remitte*,

remitte. מְזוּמָן i. e. מְזֻמָּן *paratus.* סוּכְלְתָן pro סָכְלְתָן *intelligens.*

י denotabat E & I id eſt Tzere & Sægol, Chirek magnum ſeu longum, & parvum ſeu breve : & quandoque breviſſimum. i. e. Scheva ſimplex , vel Chatef-Sægol : ut בִּישְׂרָא *caro* : בִּישְׁתָא *malum*: גְּזֵירְתָא *decretum* : חֵיוְתָא *beſtia* : עֲבִידְתָא *opus*: מְדִינְתָא *Provincia* : גְּזֵירָא *decretum* : לְמֶיהֱוֵי *ad eſſendum* : אֱלָהֵין *ſed , niſi , præterquam* : אֱינָשׁ *homo.*

Inde accidit, ſequioribus temporibus,ut Scheva poſt tales vocales, etiam longas , quieſcens factum fuerit more Chaldæorum : Deindè plures conſonantes per longas vocales conjunctæ fuerint. Inſuper vocales Cholem & Schurck ſcriptæ ſunt,ubi breves adſcribi debebant,ſimiliter Chirek & Tzere loco brevium Chirek parvi,& Sægol. Adeo ut poſterioribus ævis , quandò puncta vocalia textui Chaldaico fuere ſubſcripta , literæ iſtæ *matres lectionis* vocalium certi indices in textu relictæ , incertam, inſtabilemque admodum lectionem apud imperitos lectionis Rabbinicæ , effecerint. Chaldæis quoque uſitatiſſimum fuit י *Iod*, præcipue Iod affixum plurale, præcedente Patach,geminare, aut præponere literam א , vocalis Patach indicium certum : ut זַכָּאי *innocens* pro זַכָּי , אֲמַרַאי *verba mea* pro אֲמַרַי .

Ita-

Itaque Circa lectionem Rabbinorum sine punctis, hæc cautio certò adhibenda est, quod duæ istæ nominatæ literæ ו & י, præter usum proprium, sæpenumerò medio vocum inserantur, ad formam ipsarum certiùs indicandam, quæ alioquin sine iis ambigua esset. Et quidem ו *Vau* sæpè signum est *Cametz-Catuf*, aut *Kibbutz*.

י *Iod* sæpè indicium est *Chirek brevis* vel *Tzere*, vel *Chatef-Segol*. De quo videsis Buxtorfii Gram. Chald. pag. 79.

Adhæc ו & י in mediâ voce interdùm geminantur, ut designetur, eas pro consonis mobilibus, sive per se, sive propter Dages legendas esse, ut זְכוּוּת זְכוּוּתָא *meritum*. Imprimis ו ab initio aliquandò duplicatur, quandò pro Radicali litera ponitur, ut hoc pacto à ו copulâ distinguatur. Sic à priscis plerumque hæc forma per genuinum י in fine scripta fuit רַגְלַיי סִפְרַ״י vel רַגְלַ״י pluralia, *libri mei, pedes mei*, ad differentiam numeri singularis, ne legeretur סִפְרִי *liber meus*. פִּקּוּדֶיךָ vel פִּקּוּדֶיךָ vel פִּקּוּדַיִךְ *præcepta tua* חֲסִדַיִךְ *sancti tui* Psal. 119. דְּבָרַיִךְ *verba tua* pro דְּבָרֶיךָ, חֲסִדֶיךָ פִּקּוּדֶיךָ. *Et secundum formam Babylonicam Danielis* פִּקּוּדָךְ דְּבָרָךְ, חֲסִדָךְ.

Sæpiusculè etiam א loco prioris י usurpatur, ut רַגְלַאי, quorum exempla passim in Bibliis Venetis, tum etiam apud Rabbinos obvia sunt. Et

denuò

denuò א vel ה ſæpè in י commutatur, ut פְּתָיֵהּ à פְּתָא *latitudo ejus* Eſr. 6. v. 3. חֲטָיָךְ à חֲטָא *peccatum* Dan. 4. v. 24.

י *Iod.* quandoque vocalis Scheva vel ‥ Tzere indicium eſt: ut בְּמַלְכֵיהוֹן & בְּמַלְכְיהוֹן *in Rege ſuo.* Sic in Dan. cap. 3. v. 28. גֶשְׁמֵיהוֹן *corpus ſuum.*



Artificium legendi ſine Punctis.

De lectione antiquorum & recentium Judæorum ſine punctis in libris Rabbinorum ac Talmudicorum, deque rectâ ſine punctis legendi ratione demonſtratio plenior.

Verum rei ipſius de quâ dicere cœpimus præſtantia, atque dignitas poſtulare videtur, ut plenius, uberiuſque de toto negotio dicam. Duplex, uti omnibus manifeſtum eſt, ſcribendi eſt ratio, una abſque punctis, ſive vocalibus, & altera cum punctis, quæ vocalium vicem in ſcribendo ſuſtinent. Prior ſine punctis eſt antiquiſſima: ſecunda verò cum punctis recentior eſt, ac ſequioribus ſæculis ob linguæ Hebrææ & Chaldææ pronuntiationis genuinæ, ac nativæ jacturam, ab hominibus linguarum illarum ſtudioſiſſimis inventa, inque medelam lapſæ, indieſque lapſuræ linguæ excogitata. Et quamvis non deeſſe alios norim, qui illud inficias ituri ſint, neque etiam defuiſſe omni tempore, qui hoc ante nos negaverint, atque tenuerint ex Zohare novo fol. 10. נְקוּדֵי וּתְנוּעוֹת קַבָּלָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי i.e. *Puncta, & vocales acceptio ſunt Moſis de monte Sina.* Item fol ſeq. תְּנוּעֵי דְטַעֲמֵי כּוּלָּא עַל יְדָא דְמֹשֶׁה hoc eſt. *Motiones accentium firmatæ*

ſunt

sunt omnes per manus Mosis. Et fol. 28. §. 2. לֵית קִיוּמָא וְנְהִירוּ לְכָל אָתְוָן בַּר מִנְהוֹרֵי דִנְקוּדֵי וְכָלָא אִתְמְסַר בְּרָזָא דְאוֹרַיְיתָא בְסִינַי i.e. *Non est substautia, aut lux ullis literis sine luce punctorum, & totum illud traditum est per secretum Legis in Sinai.* Mihi nihilominus rationibus evidentissimis, & auctoritatibus gravissimis subnixo, semper aliter sedit animus, nempe Biblia S. antiquitus sine punctis vocalibus fuisse conscripta, quæ res evidentissimè è versione 70. interpretum Seniorum demonstrari posset, qui pro ratione diversæ punctationis & lectionis vocalium variantium, alia verba sæpè, aliumque sensum reddiderunr, nisi hoc à viris undequaque doctissimis, contra diversum statuentes, jam pridem ad oculum demonstratū esset; veluti quando LXX. המטה, reddiderunt *virgam*; legerunt enim הַמַּטֶּה, cùm Hebrææ linguæ periti aliqui legant הַמִּטָּה, *lectumque* reddant, aliaque infinita ejus generis, quorum vix esset in recensendo numerus finisque si omnia persequi vellemus, quæ cum pro diversitate lectionis, tùm etiam ambiguæ, variantisque punctationis, ambiguos, & sæpè contrarios peperunt sensus, controversias insuper non leves, cum idem vocabulum non punctatum diversas sæpè numerò interpretationes admittat. Quo sensu præclarè legitur in lib. lectissimo *Cosari* part. 3. §. 35. ubi Judæus ait: *Si ad libri illius Mosis simpliciter sine punctis, & accentibus quondam scripti, voces ac*

ac verba, tantâ traditionum turbâ opus habemus punctorum, accentuum, distinctionum versuum, aliarumque observationum, quanto magis illis opus habemus ad rerum intelligentiam, inque explicatione ejus? Res etenim latius patent, quam verba & voces. Atque hæc quidem scriptio absque punctis per nudas necessariasque consonantes, durasse fertur usque ad diligentissimorum Masoretharum, summorum Criticorum tempora, qui punctis vocalibus, accentibus, adde & תָּגִין *coronulis* seu *apiculis*, atque זַיְינִין *galeris* Biblia S. ornarunt. Quæ profecto ipsorum opera mihi minimè vana visa est, aut frustranea, immo vero cura, studiumque ipsorum occupatū fuit circa rem debitam juxta, & necessariam, utilemque, conjunctam cum Legis custodia, ne ullâ ratione ea immutari posset, & admirabili prudentiâ atque sapientiâ. Ex appositione enim ista punctorum, accentuumque elucet ordo, & genuina lectio, quæ non à vulgo, vel à promiscuâ multitudine, vel ab uno aliquo tali qualive, sed à sapientissimis viris, fide dignis, omni exceptione majoribus, Mose Prophetis, virisque Synagogæ Magnæ, Esrâ aliisque per manus ore tenus tradita, atque acceptata. Nam reliqui omnes codices antiquissimi qualis liber Legis punctis vocalibus carebat, eratque instar unius versus sine distinctione ullâ, uti præclarè non minus, quam scribit verè clarissimus Grammaticorum *Elia in Massoreth Præfat.* 3. וּלְפִי דַעַת בַּעֲלֵי הַקַּבָּלָה כָּל הַתּוֹרָה

התורה היא כפסוק אחד: וי"א תיבה אחת i. e. *Secundum opinionem Magiſtrorum Cabbalæ tota lex erat inſtar verſus unius. & ſunt qui dicant dictionem unã.* Ante omnia clariſſimè in celebri libro Coſari multę eruditionis,& laudis,ubi Judęus rogat alium; *Quomodo cenſes Moſen reliquiſſe librum Legis ſuæ filiis Iſraël?* Reſpondet Coſari: *Sine dubio fuit liber ſimplex, & nudus, abſque vocalibus atque accentibus, ſicut hodiè videmus Libros legis (ſc. in Judæorum Synagogis) quia aliqui fieri non poſſet ut omnes ita unanimiter convenirent.* Quia etiam deſtituebantur punctis libri Talmudici vetuſtiſſimi, item paraphraſes Chaldaicæ,& Syriacæ, unà cum Rabbinorum in Biblia Peruſchim, nullas vocales ſibi habuerunt olim adſcritas, tanquàm certæ lectionis atque infallibilis notas, niſi quod (fidem faciente Elia in Thisbi) aliqui ipſis etiam תרגומים *Thargumim*, ante aliquot annos puncta recencer addiderint, quandò inquit אנשים בלי שם כל אחד כרצונו על כן יצא משפטם מעקד ואין להביא מהן ראיה לעשות עליהם דקדוק h. e. *Homines obſcuri, ſinguli* pro *ſuo beneplacito. Quamobrem contigit, ut judicium eorum corruptum fuerit; neque conveniens eſt ex illis adducere rationem, ut Inſtitutio Grammatica ex illis formetur.* Ephodæus nonnullorũ Scribarũ temeritatem accuſat, faciens fidem accuſationi ſuæ, claro illo Jeremiæ vaticinio *verè mendacium operatus*

eſt

est stylus mendax Scribarum, qui cum Massoræ antiquæ planè rudes essent, excerptis quibusdam ex Massorah, inque Scripturæ S. marginibus ornatus ergò asscriptis, errores plurimos crassos commiserunt. Cui quidem rei non levem occasionem præbuit, quod ea, quæ è Massorah in marginibus S. Scripturæ notabant, aliquandò picturæ includere ipsis visum fuerit. Isti pinxerunt rosam, alii ramulum, in quibus Massoram consignarent; atque hâc ratione ut picturam adornarent, interdum aliqua addiderunt; nonnulla contrà, quandoquidem omniũ pictura capax nõ esset, aliquandò de suo adjunxerunt. *Nam* (inquit Elia) *Scribæ temerè egerunt, & Massoreth non magni penderunt; sed præcipuum studium ipsorum fuit, ut ornarent scripta sua, & æquarent lineas, ne mutarent formas (id est picturas,) & ut essent lineæ similes in omnibus foliis. Præterea ornarunt ea in margine imaginibus & picturis, ramulis & nodis, floribus & flosculis; ideo necesse habuerunt quandoque quædam abbreviare, quandoque quædam adducere de novo.* Quin etiam fidem faciente præclarissimo Judæo eodem Elia, & Davide Kimchio *Commentario in Psal.* x1. collatis cum iis, quæ idem scribit *in* 3. *lib. Regum c.* 17. *& in Præfat.* quam prioribus Prophetis præmisit: Insuper astipulante Isaaco Levita, Scribæ interdum *Keri & Cetif* confuderunt. Quod in Bibliis Hebræis prioribus Venetiis excusis dilucidissimè patet, ubi errores ab iis, qui prælo præfuerunt nonnunquam temerè commissos, dum id

quod in margine erat, in textu posuere, & quod textui insertum esse oportebat, in marginem retulerunt. Et ista quidem res, non corruptionem codicis sacri, verum correctorum imperitiam, atque oscitantiam spectat. Idem judicium de punctis cum Isaaco Levita tulerim, quorum certè patrocinium omnibus in locis, neutiquam suscipio, cum ipsa puncta mutare haud verear, si commodum magis sensum elicere inde valeam, modo ipsæ voces, literæque illibatæ, conserventur. Ipsi etenim punctorum Auctores, non eum in finem puncta adjecerunt, quasi varia lectio esse non posset, sed omnibus in locis eam lectionem, quam à Majoribus, patribusque suis, traditione orali acceperant, conservare, atque ubique exprimere voluerunt: Ad veritatem hujus rei comprobandam, placet in medium adferre, verba lectissima viri clarissimi Gerardi Veltvickii, Hebraicæ, Chaldææque linguæ peritissimi, per totam Europam, cùm inter Judæos, tùm inter Christianos celebratissimi, libroque Hebræo optimis, selectissimisque phraseologiis referto, inclyti, Caroli V. Augusti ob canam prudentiam consiliari, multâ rerum experientiâ clari, qui de punctis idem testatur, quando scribit והנקוד איך נקדו הלא כל על זכר הקבלא מאבות: ובאמת הנקוד יפה ובחכמה נחשב ונכלל בכללים יפים עם טעם הקריאה וכו' i.e. *Modus ille punctandi, sicut illi punctarunt, verè factus est juxta memoriam Cabbalæ, quam habuerunt à Parentibus.*

rentibus. Et profectò quantum ad puncta attinet, est pulcherrimum artificium, meritoque pro sapientia censeri debet. Continet quippe regulas pulcherrimas, quantum spectat accentus lectionis. Idem alio loco scribit והנוקדים היו מבינים וטוב רין דנו בהרבה מקומות ומקרא לשון קודש טוב ומדויק מכל ספרינו יונים ורומיים רק לא במופת נשמר תעות וכו' i. e. *Punctationes fuerunt Prudentes optimique judicii, multis in locis, Scripturaque in linguâ S. melior est, magisque accurata, quam libri nostri Græci & Romani; verùm certò non constat ipsa [scil. puncta] adeo esse observata, ut nullum subrepserit vitium.* Hujus clarissimi viri testimonia, non eò spectant, ut elevet auctoritatem punctorum, rejiciat, erroris insimulet, multo minus, textum Sacrum corruptum esse asserat, ut potius contra maximoperè commendet, summisque condecoret elogiis. *Punctationis* enim & Massoræ מעלת הנקוד ומסורת *excellentia,* uti auctor libri Cosari, reconditæ eruditionis scribit, ad præstantiam, atque nobilitatem linguæ S. facit, quique puncta rejiciunt, accentus, apices, coronulas literarum, aliasq; hujus generis notas fastidiunt, adscribere debebunt merito suo illud cæci Oedipi, qui apud gravissimum scriptorem Senecam in Thebaide amolitur à se filiam Antigonem, quæ illi se ducem viæ offerebat. Puncta fidelissimi literarum comites sunt, qui in recta dirigunt errantem oculum, neque sinunt lectorem cespitare aut labi: hisce ducibus, nunquam in legendo hæret, nusquam titubat,

nusquam cespitat, nusquam caligat, nusquam offendit. Horum cognitio per Cabbalam continuam i.e. oralem traditionem, postmodum scripto consignatam, quandoquidem Lex divina, absque punctis, atque accentibus conscripta esset, sine distinctione, instar unius versus per traditionem inde à Mose propagatam, in animis Judæorum servata fuit, donec per Eszram, aliosque fide dignissimos viros Synagogæ M, figuris expressa fuerit, adeo ut post Legem jam perfectam (תורה שלימה ait auctor Cosari) illustratam nunc, atque exornatam primò per punctationem, deinde per versus, tum per accentus distinctam, atque notatam, tum per Massoras seu criticas observationes, & animadversiones de vocibus plenis, & defectivis, literis suspensis, inversis, majoribus, minoribus, regularibus & irregularibus, ad legendum, ulteriori Cabbalah minimè opus habere videamur, quæ ante absque dubio servabatur in cordibus, uti Hebræi loqui amant i. e. animo, & memoria Judæorum sc. de vocalibus *Cametz*, *Patach*, *Chirek*, *Scheva*, accentibus, punctisque, quibus singulæ voces essent efferendæ, maxumè *inquam Sacerdotum, Judicum, Synedrorumque*, qui his imprimis habebant opus, ad cultum suum ritè peragendum, docendumque Israëlem, adde & *justorum* ut acciperent mercedem, & *hypocritarum*, qui de scientia Legis gloriabantur. Ut autem nunc ad rem expediendam accedamus propius, puncta diviserunt veteres aliqui Judæorum in השבעה מלכים *Septem*

Reges

Reges excepto Scheva, sicuti accentus apud recentiores Grammaticos dividuntur in *Reges* & *ministros* : tales erant *Cametz*, *Tzere*, *Chirek*, *Cholem*, *Schureck*, *Patach*, *Sægol.* Sub quibus etiam reliquas comprehendebant *Cametz Catuf*, *Kibbutz*, & *Chirek breve.* De quo videris R. Abrah. Ben Esræ *in libro* זחות *Zachut*, similiter in libro מאונים *Mosnaim* fol. 197. 6. Auctorem *Cosari parte* 3. §. 80. Alii brevius multo dividunt vocales, quibuscum voces efferuntur sc. in *Cametz*, *Patach* & *Chireck*: Secundò *Cametz in magnum* propriè sic dictum, *Medium*, quod est Cholem, & *Parvum*, quod est Schureck: Tertiò in *Patach Magnum*, quod propriè est Patach, & *Parvum*, quod est Sægol: Quartò in *Chireck magnum*, quod propriè est Chireck, & *parvum*, quod est Tzere. Scheva effertur cum his omnibus. Sunt tamen, qui per Cametz intelligant Cholem, uti Rabbi Muscato super librum Cosari. Quicquid demum sit, hoc saltem in confesso est, tres istas vocales *Cametz*, *Patach*, & *Chireck*, nuncupari à Grammaticis antiquuis מוסדים *fundamentales*, eo quod eo quod reliquę, respectu suæ figuræ habito, ab hisce originem ducant. Quod ipsum nunc in præsens docemus, quandò demonstramus, quomodo septem istæ vocales suprà adductæ à nobis, sub his omnes comprehensæ sint: Nam *Cametz magnum*, *medium* & *parvum*, oriuntur ex Cametz, quod dicitur Cholem, & similiter *Patach magnum* & *parvum*, quod est Tzere, refertur utrumque ad Chireck. Quomo-

do verò Scheva veteres pronuntiarint, quomodove aliarum vocalium naturam, interdum assumat, uberrimè, diffuséque agunt Judæorum Grammatici, antiquissimus R. Iuda Chiug. R. Aben-Esras, Kimchi, Ephod, Abrah. de Balmis. Rabbi Juda Muscato in Commentario suo קול יהודה dicto, super librum adductum jam aliquoties Cosari.

Verum, uti postliminio oratio nostra, unde digressa est, redeat. Cum itaque apud veteres, omnia antiquitus sine punctis vocalibus scriberentur, & insuper unum verbum, pro diversitate punctationis diversimodè legi, adeoque expositiones varias recipere posset, ne maxima hinc obscuritas atque confusio oriretur, censuerunt antiqui, huic difficultati obviam esse eundum, præterea lectori de genuinâ lectione, & sensu scriptorum suorum consulendum; quid factum fuit in re tam ambiguâ? Excogitarunt tres hasce literas אוי״, quas auctor libri celebris יצירה' Zetzira vocat אמות הקריאה. id est, *lectionis matres*, quæ præter usum proprium, quem in Bibliis obtinent, apud Rabbinos, sæpissimè mediis dictionibus inferuntur simplices, vel geminæ ad formam earum certò indicandam, quæ absque iis, aut obscuræ, aut ambiguæ essent, quæque vocabulis insertæ, vocalium apud Priscos erant certi indices: Hæ, omnes vocales continebant, illisque pro punctis sufficiebant, & quidem ex illis א rarius, י & ו verò passim.

1. Nam primo א in ambiguis, veniebat loco A utroque, id est pro *Patach* & *Cametz*, licet, uti diximus suprà, veteres idem rarius usurparint; veluti מנאי pro מִנַּי *à me* Talmudicè sine punctis. גלאי vel גליי pro גַּלִּי Talmudicè. Similiter גליאן pro גִּלִּין. חריאת *gavisa est*. הַאי pro הָא vel הַי *ille* Pronomen Talmud. בית שמאי *Domus Sammai* pro בֵּית שַׁמַּי. באת *venit* Rabb. זַכַּאי *innocens* וַדַּאי *certum*. הֲבַאי *hyperbole*. Subjiciamus aliquot adhuc ad illustrationem specimina, remque tantam ulterius illustremus. Dico א venit, pro א Cametz in medio verbi tantum, uti in סאני pro סָנֵי *odio habens*. קארי pro קָרֵי *clamans*. Porro pro A Patach in יהודאי pro יְהוּדִי *Judæus* זַכַּאי pro זַכַּי *justus* רביעאי *quartus* רַגְלַאי pro רַגְלַיי *pedes mei*, apud Rabbinos formâ plur. & כפראי pro סִפְרַיי *libri mei*, ad differentiam singularem רַגְלִי vel רַגְלִי & כִּפְרִי *pes, & liber meus*.

2. ו Veniebat loco O & U, id est loco *Cholem*, *Cametz-Catuf*, *Schurek* & *Kibbutz*.

Præterea Rabbini, vocales longas ob Dagesch apud Hebræos literæ sequenti impressum, hoc sublato, vocalium longarum restitutione, ac compensatione eorundem, indicare solent, veluti quandò scribunt הָאוּמוֹת pro הָאֻמּוֹת *populi*. כּוּרַת apud Solom. Iarchi super Hos. 2. v. 2, pro כֻּרַּת *circumcisus*

cumcisus est Ezech. 16. v. 4. peculiare exemplum cum ר dagessato. שׁוֹרֵךְ pro שָׁרֵּךְ *umbilicus tuus* ibid. וַיְּנוֹעוּ pro וַיָּנֻעוּ *moti sunt.* Jes. 6. v. 4. לְכוֹלָם pro לְכֻלָּם *omnes*, seu *omnibus*. באומה pro בְּאֻמָּה. משוכת apud Solom. Zarchi super Hos. 2. v. 6. pro מְשֻׂכַּת: סבוכים pro סְבֻכִים Nahum 1. v. 10.

3. י Veniebat pro E & I. i. e. *Segol, Tzere, & Chireck* longo, & brevi sive parvo, & *Chatef-Segol* sive brevissimo, vel *Scheva* sæpenumero ex analogia flexionis. Exemplis rem tantum illustremus. E. G.

1. Loco *Sægol*, uti למיהוי *ad essendum.*

2. Loco *Chatef-Cametz* in voce אֵילָהִין

3. Loco *Tzere*, uti in vocibus חֵיוְתָא *bestia.* גְּזֵירָא *Decretum* pro גְּזֵרָא. Item גְּזֵירַה & מִגְּזֵירַת *ex decreto*, vel *deflectione*, abbreviatè פירש·מגזי גז״י pro פֵּרַשׁ vel פֵּרוּשׁ *interpretatus est*, *interpretatio.* נסחא אחרינא pro נֻסְחָא אָחֳרֵינָא. Exemplum aliud זקינים pro זְקֵנִים *Senes.* משה רבינו pro מֹשֶׁה רַבֵּינוּ *Moses Magister noster.* עבירה pro עֲבֵרָה *trangreßio*, שלימות pro שְׁלֵמוּת *integritas.*

4. Loco *Chireck parvo* in vocibus נִיחַ *quies.* שְׁמִיעַ *auditus:* גְּבִיהַ *altus.* עיסבא pro עִסְבָּא *herba.* בישרא pro בִּשְׂרָא *caro.* עיקש pro עִקֵּשׁ *perversus.* עיקר pro עִקָּר *fundamentum.* ניתן pro

נִתַּן

נִתַּן *datus est*, & נִתַּן Niphal & Pihel. לְהִנָּתֵן pro לְהִנָּתֵן *dari.* ניבא pro נִבָּא *prophetavit.* כּיבר pro כִּבֵּד *honoravit.* ציוה pro צִוָּה *præcepit.*

5. ' Loco *Scheva*; ut עַיְנִין *oculi.* חֲזֵית *vidisti.* ביתה pro בֵּיתֵהּ *domus ejus.*

6. ו & י in media dictione, interdum geminatur, ad indicium, eas pro consonis mobilibus meris legendas esse, sive per se, propter, & loco Dagesch venire, quod apud Chaldæos maxumè fieri solet, apud quos innumera ejus generis occurrunt.

1. ו Loco *Ribbutz*; veluti in vocibus קוּשְׁיָא pro קֻשְׁיָא וכולי pro וְכֻלֵּי קֻשְׁיָא & *reliqua.* מְזוּמָן pro מְזֻמָּן *paratus* שבוק pro שְׁבֻק *remitte.* גוּבְרִין pro גֻּבְרִין *viri.*

2. Pro *Camets-Catuf*, vel *Kibbutz*: ut אורחא pro אָרְחָא *semita.* טומאה pro טֻמְאָה. חוכמתא pro חָכְמְתָא. המורכב pro הַמֻּרְכָּב *compositum.* Et sic אורכא pro אָרְכָא. *sapientia.* אורכא pro אָרְכָא. חורבן pro חֻרְבָּן *desolatio* apud Kimch. Hos. 4. v. 2. הופעל pro הָפְעַל. הופקד pro הָפְקַד. vel הֻפְקַד, utraque enim vocalis hic esse potest, atque usitata est. מוקטר pro מֻקְטָר. ומוגש pro וּמֻגָּשׁ Particip. Pyhal. מפוקד pro מְפֻקָּד, quod Participium passivum, sic sæpenumero scribitur ad differentiam Activi quo discrimine formæ Passivæ semper ferè dignoscuntur. Similiter לוקחה pro לֻקְחָה.

לְקָרָה: נוקרתם pro נְקַרְתֶּם. Quotiescunque Cholem ob affixum in Cametz-Catuf, vel Kibbutz convertitur, sæpissimè hoc accidere videas. E. G. גְּדֻלָּתָם וְעָשְׁרָם pro על גדולתם ועושרם

3. ו Etiam in media voce, & principio quandoque duplicatur, ut indicetur, vel pro simplici consona mobili, vel pro Dagesch legendum esse. Sed tamen hîc observandum, quod cùm ר & ו in medio mobilia sunt, bis scribantur; veluti דיין pro דִּין *judex.* חיוורא pro חִוָּרָא *leprosus.* כוורי pro כַּוְּרֵי *pisces.* נבייא pro נְבִיָּא *Propheta* אוֹרָיְתָא *lex.* סיסוון pro סוּסְוָן *equi.* גוונא pro גַּוְנָא עייל pro עַיֵּל. טויעתא *Arabissa* f. g. דאייתי *attulit.*

Præterea, quod א in fine interdum abundet pro Mappick, sicut in voce מרהא pro מָרָהּ *Dominus ipsius,* & in רחמתהא pro רְחֵמְתָּהּ *amasti eam.* Quandoque etiam ante ' affixum plurale, aut etiam quocunque antecedente Patach, inserere solent Rabbini, ut videre est in אֲמָארַיי *sermones mei.* וַדַאי *certum.* זַכַּאי *justus.* לְשׁוֹן חַבַּאי *sermo hyperbolicus.*

Atque hæc veterum scribendi ratio in legendis ipsorum scriptis, non modo intelligendis, sed etiam in rimandis radicibus probè est observanda.

Sequioribus vero temporibus, quandò puncta textui Chaldaico fuerunt adscripta, literæ istæ א"וי

genuinæ

genuinæ lectionis indices, & *Matres lectionis* nuncupatæ, in textu relictæ, ambiguam admodum punctationem, apud præceptorum Grammaticalium ignaros invexerunt, confusionemque non exiguam causatæ sunt: Nam Cholem & Schureck positæ sunt, ubi earum loco breves debebant substitui. Chireck vicissim, ubi adhiberi conveniebat Tzere. Scheva quoque, post tales vocales mutum factum est, & plures consonæ, per vocales longas in unam coaluerunt. Sed Cametz-Catuf, & Kibbutz rarius fuerunt usurpatæ, quia earum loco communiter venerunt Cholem, & Schureck, quod idem etiam, de Chireck longo & brevi judicium fieri velim. At vero in Daniele & Esra abundantia istarum trium literarum אוי״, sublata fuit, accurataque punctandi ratio, in gratiam lectorum analogiæ Grammaticæ imperitorum invecta; non autem Schevatis i.e. puncto Scheva affectis, utriusque confusio ablata, cujus exempla clarissima in utramque partem, tàm mobilis, quàm quiescentis, passim occurrunt. Mobilis quidem in vocibus גְבוּרְתָא Dan. 2. v. 2. שְׁלָמְכוֹן *pax vestra.* Dan. 3. v. 31. חֵיוְתָא *bestia* Dan 4. v. 11. aliaque plura his similia, ubi literæ post Scheva aspiratæ, ejus motum augere videntur. Quiescentis vero in vocibus עֲבִידְתָא *opus* Dan. 2. vers. 44. יָקִדְתָּא *ardens* Dan. 3. v. 6. מְדִינְתָא *Provincia* Esræ 5. v. 8.

v. 8. בֵלְטְשַׁאצַּר *Belteschazar* בְּאוּשְׁתָּא *pessima* Esr. 4. v. 22.

Insuper quoque sæpissimè geminum י vel ו pro simplici consona mobili scriptum est, illudque vel simpliciter, vel pro Dagesch, aut Mappick. Scheva mobile, pro Patach, & compositum etiam sub aliis, quam Gutturalibus scriptum. Et sub literis א & ח & ע in fine vocum, Patach suffuratum more Hebræorum assumptum, quod tamen ח præcedente Tzere, respuit.

At oritur hîc difficultas non levis, quomodò voces in libris antiquorum, sine punctis scriptorum, & recentiorum, ubi tres istæ literæ אוי certæ lectionis indices, atque matres, rectè legi possint.

Responsionis loco sit, quod (licet hæc instantia levioris momenti non sit) potuerint nihilominus omnibus vocibus literæ istæ אוי, adscribi, debuerintque subintelligi, undè certo concluditur, quod voces, in quibus illud factum non fuit, lectoribus passim notæ fuerint. Præterea oraliter sæpè tradebantur, atque audiebantur, undè istas vocibus istis omnibus, & singulis satis notis adscribere, minimè opus esse judicarunt. Quæ res deficientibus passim apud Theologos, illisque, qui rerum Theologicarum periti haberi volunt, nunc maxumè ætate nostrâ, linguæ Hebrææ, aliarumque linguarum Orientalium cognitione instructis viris,

ris, fateor non parvam molestiam, & obscuritatem peperisse.

Cui equidem malo, ego (quicquid alii fortè consiliarii. parum periti, fidi, atque prudentes hîc suaserint) hæc alexipharmaca præscripsero.

1. Primò in lectione talium vocabulorum, ubi literæ istæ אהוי infallibilis & certæ lectionis indices, non occurrunt, secundum Grammaticalium præceptorum, & mutationis punctorum, rationem, esse procedendum.

2. Secundò, quò nativa vocis alicujus punctatio appareat tibi, ac nota sit, lexica interdum consulenda esse.

3. Tertiò, è Nomenclaturis, vel Lexicis indies quinque, aut sex, & sic temporis progressu, decem Radicales cum suis significationibus, vel singulis diebus, unam Radicem cum suis Nominibus, & particulis derivatis, memoriæ mandandam, quod si indiès fiat, dici vix posset, quantum adjumenti, subsidii, atque adminiculi, non modo in lectione Biblica, verum etiam in Commentariorum Rabbinicorum lectione, hoc allaturum sit.

4. Judæi, vel inter Christianos hâc in linguâ versatissimi. aliquandò consulendi, ut ab illis oraliter percipiantur cùm pronuntiatiò, tùm punctatio earum vocum, quæ rarius in Lexicis occurrunt, & frustrà sæpè quandoquidem oraliter traditæ semper fuerint, apud Lexicographos quæruntur.

5. Quintò. Exercitium crebre in lectione sine punctis, in capite aliquo Biblico, vel Commentariis Rabbinorum, postquam prius aliquamdiu feceris, & instituendum non modo, verum etiam aliquoties, donec huic exercitio, planè assueveris, repetendum: Loca etiam Biblica, quoniam passim à Rabbinis allegari solent, verbaque eorum proferri, maxumum in lectione Commentariorum Rabbinicorum, pondus habere, nemo est, qui jure inficias iverit.

Quibus ritè peractis, præcepta, usuſque artificem efficient.

FINIS.

